

INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (32)

4.11.2. Quomodo disciplina missiologica in initio disposita sit

Postquam comperimus, quomodo missiologia catholica in Germaniā variis inceptis instituta esset, breviter spectemus oportet, qualem perceptionem missiologiae scientificae responsales in initio habuerint et quid ad studium missiologiae putaverint pertinere.¹

Cum Iosephus Schmidlin in disciplinā missiologicā - uti iam audivimus - illo tempore fuerit magni momenti atque fundamenta scientifica posuerit, hōc in conexū praeter alia imprimis de eius scriptis paulum referemus.²

Vix fundamenta variarum institutionum fundata erant, cum Iosephus Schmidlin deliberationes suas de officio scopoque missiologiae divulgare coepit. Itaque statim in primo fasciculo periodici, quod est «*Periodicum scientiis missiologicis destinatum*», duas symbolas exhibuit, quarum tituli erant «*De missiologia catholica*»³ et «*De systemate deque partibus missiologiae*».⁴ His atque insequentibus quōque lucubrationibus hanc novam disciplinam iam systematice constituere atque lectoribus eius necessitudinem ante oculos ponere in animo habuit.

Itaque ab initio eidem magni momenti erat dicere «*missionem esse tractationi scientificae aptam et dignam*».⁵ Generaliter autem scripsit haec: «*Et missionis tempus praesens atque missionis tempus praeteritum et principia missionaria modis scientificis atque methodo criticā cognosci atque investigari, valore interno conexūque pragmatico pervestigari atque exponi, sub aspecti-*

-
- 1 De progressū disciplinae deque mutationibus perceptionis, quae scilicet decursū temporis atque condicionibus externis mutatis factae sunt, conexū posteriore tractabimus,
 - 2 In pleraque scripta Iosephi Schmidlin, quae sunt alicuius momenti, argumenta referens etiam incumbit ex. gr. Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1876-1944). Papsthistoriker und Begründer der katholischen Missionswissenschaft. Nettetal 1989, pp. 87 sqq., pp. 181 sqq., pp. 203 sqq.
 - 3 Josef SCHMIDLIN: Die katholische Missionswissenschaft. In: Zeitschrift für Missionswissenschaft (= ZM) 1, 1911, pp. 10 sqq.
 - 4 Josef SCHMIDLIN: System und Zweige der Missionswissenschaft. In: ZM 1, 1911, pp. 106 sqq.
 - 5 Josef SCHMIDLIN: Die katholische Missionswissenschaft. In: ZM 1, 1911, p. 11. - Textus originaliter Theodiscus. - Similiter Josef SCHMIDLIN: Katholische Missionswissenschaft. Münster 1924, p. 5.

*bus finalibus idealibusque existimari atque diiudicari, denique in systema logice congruens atque in unum conspectum redactum effingi atque comprehendendi possunt.»*⁶ Haec descriptio insuper est postulatum quoddam, cum missiologia tantummodo hunc in modum vera disciplina scientifica fieri possit. Omnes autem missiologi hanc quaestionem similiter perceperunt.⁷

De fundamentis scientificis novae disciplinae ponendis ergo non erat dubitandum neque disputandum. Tamen Iosephus Schmidlin causam afferendam esse putavit, cur specialiter missiologia *catholica* conderetur. Necessarium vero hoc esse putaverunt illi, qui hanc disciplinam promoverunt, non quia methodus scientifica esset alia ac apud protestantes, sed quia unā ex parte missiologia catholica imprimis incumberet in missionarias condiciones catholicas, alterā ex parte in thematis tractandis inter catholicos et protestantes magna differentia exstaret in perceptione, quid esset ecclesia.⁸ Itaque hac quoque in disciplinā exacta determinatio non solum utilis, sed etiam necessaria erat.

Nihilominus - ut scimus - missiologia protestantica iam ex nonnullis decenniis exstitit, antequam de missiologiā catholicā instituendā cogitabatur. Itaque hac ex parte iam plura opera inquisitionesque divulgata erant, ex quibus auctoribus scilicet Gustavus Warneck eminebat. Iosephus vero Schmidlin inde ex primis scriptis suis missiologicis praesertim in opera deliberationesque Gustavi Warneck incubuit,⁹ ita ut quibusdam in rebus eum sequeretur et quasdam eius cogitationes assumeret adhiberetque, sed alterā ex parte etiam vehementer in eum inveheretur errores eius indicans atque

6 Josef SCHMIDLIN: Die katholische Missionswissenschaft. In: ZM 1, 1911, p. 11. - Textus originaliter Theodiscus.

Hōc in conexū scitū digna est sententia, quam protulit Werner USTORF: Missionswissenschaft. In: Theologische Realenzyklopädie 23 (1993), p. 89, cum scribat *«missiologiam esse actionem specialiter cum ecclesia coniunctam, ex fide respondentem, quae non ipsam veritatem, sed indagacionem veritatis regulis scientificis subicit»*. - Textus originaliter Theodiscus.

7 Cfr etiam Anton FREITAG: Mission und Missionswissenschaft. Kaldenkirchen 1962, p. 74.

8 Cfr Josef SCHMIDLIN: Die katholische Missionswissenschaft. In: ZM 1, 1911, p. 12; Josef SCHMIDLIN: Einführung in die Missionswissenschaft. Münster 1917, pp. 16. sqq.; Josef SCHMIDLIN: Katholische Missionswissenschaft (1924), p. 4.

9 Sed idem etiam plures alios missiologos protestanticos afferre solebat.

disputationem scientificam exhibens.¹⁰ Cum in theologiā catholicā nondum multae investigationes de hōc themate generali exstitissent, nihil aliud ei restabat ac ad litteraturam protestanticam recurrere atque critice disserendo propriam theoriam excolere.¹¹

Missiologia quidem est pars totius theologiae, sed Iosepho Schmidlin eiusque cooperatores ab initio scopus erat in eo, ut eandem ut disciplinam autonomam intra theologiam instituerent neque singulas partes huius disciplinae missiologicae in specialibus partibus totius theologiae tractari vellent.¹² Hanc opinionem habuerunt non solum propter amplitudinem thematum materia- rumque atque propter magnum momentum ipsius missionis practicae, sed etiam quia apostolatus missionarius specificè differebat ab apostolatū generali et sic in disciplinis theologicis non ita respiciebantur.

Haec perceptio etiam cohaerebat cum utilitate missiologiae scientificae atque cum finibus, ex quibus haec disciplina exhibenda esset. Duo autem aspectūs imprimis afferebantur. Nam unā ex parte ea, quae scientificè tractabantur atque inveniebantur, sunt magni momenti atque omnino necessaria pro

10 *Cfr* imprimis Horst RZEPKOWSKI: Gustav Warneck und die katholische Missionswissenschaft. *In*: Dieter BECKER / Andreas FELDTKELLER (edd.): Es begann in Halle ... Erlangen 1997, pp. 71 sqq., qui anaylsim diligentem fusamque exhibet de relatione inter Iosephum Schmidlin atque Gustavum Warneck. - *Cfr* etiam Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), pp. 177 sqq.

11 Ut Horst RZEPKOWSKI: Gustav Warneck und die katholische Missionswissenschaft. *In*: Dieter BECKER / Andreas FELDTKELLER (edd.) (1997), pp. 71 scribit, videtur Iosephus Schmidlin, cum ageretur de Gustavo Warneck eiusque opere, inter inclinationem et negationem versatus esse. - Posteriores Iosepho Schmidlin interdum opprobrio dederunt eum ab Gustavo Warneck nimis dependisse. Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), pp. 193 sq. de hōc opprobrio scribit, si Gustav Warneck bona rectaque protulit, hōc dicendum esse. Neminem vero clarius distinctiusque dixisse quam Iosephus Schmidlin, cum secundum eius opinionem Gustavus Warneck erravisset.

12 *Cfr* ex. gr. Anton FREITAG: Mission und Missionswissenschaft (1962), pp. 75 sqq.; Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), p. 71; Eduard HEGEL: Der Lehrstuhl für Missionswissenschaft und die missionswissenschaftlichen Studieneinrichtungen in der katholisch-theologischen Fakultät Münster. *In*: Josef GLAZIK (ed.): 50 Jahre katholische Missionswissenschaft in Münster. 1911-1961. Münster 1961, pp. 6 sq.; Karl Josef RIVINIUS: Missionswissenschaftliche Initiativen in Münster am Anfang des 20. Jahrhunderts - ein prophetisches Zeichen? *In*: Zeitschrift für Missionswissenschaft und Religionswissenschaft (= ZMR) 96, 2012, p. 15. - Josef SCHMIDLIN: Die katholische Missionswissenschaft. *In*: ZM 1, 1911, pp. 18 sq.

missione ipsā.¹³ Nam opus missionarium non solum indiget argumentis scientificis, ut utilitatem suam probaret, sed missionariis ipsis etiam opus est talibus investigationibus scientificis, ut ex earum experiētiis, fundamentis praeceptisque normas certas laborum suorum deducant atque discant, qualia exempla sequantur vel qualia menda vitent. Alterā ex parte missiologia ad ipsam theologiam eiusque singulas disciplinas multa attribuit et denique - quod non est minimi momenti - studiis missiologicis systematice exhibitis sodales societatum missionariorum sive Ordinum missionariorum erudiuntur, ut ipsi in propriis athenaeis domesticis missionarios futuros doceant.¹⁴

Ut missiologia revera scientificè tractari posset, systema quoddam logicum cohaerensque habere debuit, quo omnia, quae ad disciplinam pertinebant, respiciebantur atque relationes inter singulas partes perspicue demonstrabantur.

Sed antequam missiologia ut disciplina scientifica in partes suas distingui atque dividi potuit et antequam obiectum genuinum investigationis missiologicae indicabatur, necessarium erat, ut definiretur, quid sub termino, qui est «missio»¹⁵ intellegendum esset. Quamvis «missio» pro multis theologis atque hominibus laicis sensū satis lato non solum ad non-Christianos, sed

-
- 13 *Cfr* ex. gr. Josef SCHMIDLIN: Die katholische Missionswissenschaft. *In*: ZM 1, 1911, pp. 13 sq.; Josef SCHMIDLIN: Einführung in die Missionswissenschaft (1917), pp. 29 sqq.; Josef SCHMIDLIN: Katholische Missionswissenschaft (1924), p. 6; Josef SCHMIDLIN: Probleme und Aufgaben der Missionswissenschaft. *In*: ZM 15, 1925, pp. 2 sqq.
- 14 *Cfr* ex. gr. Josef SCHMIDLIN: Die katholische Missionswissenschaft. *In*: ZM 1, 1911, p. 17; Josef SCHMIDLIN: Einführung in die Missionswissenschaft (1917), pp. 31 sqq.; Josef SCHMIDLIN: Katholische Missionswissenschaft (1924), p. 6. - Specialiter atque fusius in hanc quaestionem, quid missiologia laboribus cottidianis missionariorum afferret et praeterea quomodo missionarii operibus investigationibus suis auxilio esse possent, incubuit Iosephus SCHMIDLIN: Missionswissenschaft und Missionspraxis. *In*: ZM 10, 1920, pp. 1 sqq.
- 15 Scitū dignum est decursū temporis plures terminos ad huiusmodi actionem spectantes exstitisse, velut propagatio fidei, conversio gentium, praedicatio euangelii in universo mundo, conversio infidelium, praedicatio apostolica, procuratio religionis christianae, procuratio salutis apud barbaras gentes, novella Christianitatis plantatio, dilatatio ecclesiae, legatio apostolica, plantatio ecclesiae, propagatio regni Christi etc. Congregatio de Propaganda Fide ab initio usa est his terminis sensū hodierno. - De his rebus fusius *cfr* Anton FREITAG: Mission und Missionswissenschaft (1962, pp. 21 sqq.; Karl MÜLLER: Die Weltmission der Kirche. Aschaffenburg³1963, pp. 6 sqq.

etiam ad Christianos alius confessionis spectaret,¹⁶ Iosephus Schmidlin nonnullos praestantes missiologos protestanticos generaliter secutus Christianos cuiusvis generis exclusit atque «missionem» definire solebat hunc in modum: «*Missio definienda est subiective ut actio ecclesiastica ad propagationem fidei Dei atque regni Dei, religionis Christianae atque ecclesiae catholicae inter individua populosque non-Christianos spectans, obiective (ut opus missionis) ut ipsa propagatio fidei atque summa omnium actionum, quae eidem inserviunt, itaque etiam eius obiectum atque fructus, pagani conversi et convertendi (modo secundario Muslimi atque Iudaei).*»¹⁷ Ex causis theoreticis atque practicis Iosephus Schmidlin ergo terminum «missionis» sensū angusto strictoque tantummodo in tali conexū adhiberi voluit, quo pagani ad fidem Christianam (catholicam) convertuntur.¹⁸

Ipsum autem opus missionarium varios aspectūs habet atque variis gressibus constituitur. Secundum persuasionem Iosephi Schmidlin (et aliorum) in missione catholicā tres gressūs distinguendi sunt:¹⁹ primo euangelium propagandum est, deinde sequitur conversio singulorum hominum, ad quam quōque pertinent baptisma atque assumptio in ecclesiam catholicam. Quos gressūs appellavit scopos individuales. Denique decursū temporis scopus socialis perpetrandus est, id est organizatio ecclesiastica, nempe exstructio hierarchica atque autonomia relativa ecclesiae in regione missionariā et conversio totius populi ut finis ultimus. Exstat ergo missionis officium duplex.²⁰

16 Talem opinionem illo tempore adhuc protulit ex. gr. Theodor GRENTRUP: Die Definition des Missionsbegriffs. In: ZM 3, 1913, pp. 265 sqq.

17 Josef SCHMIDLIN: Die katholische Missionswissenschaft. In: ZM 1, 1911, p. 11. - Textus originaliter Theodiscus.

Quasi eandem definitionem exhibet Josef SCHMIDLIN: Einführung in die Missionswissenschaft (1917), p. 48. Similiter Josef SCHMIDLIN: Katholische Missionswissenschaft (1924), p. 2. - Fusius rem explicat Josef SCHMIDLIN: Katholische Missionslehre im Grundriss. Münster 1919, pp. 40 sqq.

18 Scitū dignum est Iosephum SCHMIDLIN: Katholische Missionslehre im Grundriss (1919), p. 44 adn. 3 adnotare paganos tantummodo improprie appellari posse «infideles», cum iidem plerumque revera fidem quandam habeant. - Similem opinionem profert Thomas OHM: Die Stellung der Heiden zur Natur und Übernatur nach dem hl. Thomas von Aquin. Eine missionstheoretische Untersuchung. Münster 1927, pp. 108 sqq.

19 *Cfr* ex. gr. fuse Josef SCHMIDLIN: Katholische Missionslehre im Grundriss (1919), pp. 263 sqq.; brevius Josef SCHMIDLIN: Missionstheorie. Münster 1924, pp. 15 sq.

20 Hac perceptione Iosephus Schmidlin et illi, qui hac in re eum sequebantur, versabantur inter opinionem protestanticam, quā missio imprimis spectabat ad conversionem individuaem, et persuasionem illorum catholicorum, quibus conversione singulorum non

Iam anno 1911^o in primo fasciculo «*Periodici scientiis missiologicis destinati*» Iosephus Schmidlin sub fundamento harum similiumque deliberationum, quas modo breviter descripsimus, systema quoddam missiologiae exaravit, quod deinde decursū temporis variis libris libellisque distinctius explicuit. Putavit enim hunc in modum perspicuitatem necessariam effici posse, quomodo missiologia institueretur atque doceretur.²¹ Hanc vero persuasionem iure meritoque protulit, cum esset scientiarum systematice operari.

Itaque missiologia generaliter distinguebatur in duas partes maiores, nempe in missiographiam et in doctrinam missionis sive theoriam missionariam.²² Missiographiā ea investigantur, quae ad actiones condicionesque missionis spectant.²³ Cum hōc thema duos aspectūs habeat, nempe praesentem et praeteritum, itaque missiographia quōque in duas partes dividitur: unā ex parte exstat missiographia sensūs proprii, quā et in condiciones patriae et in condiciones exterae quaestionibus statisticis geographicisque inclusis incumbitur. Hic est locus, quo certis legibus methodologicis missio, quae tempore praesente exercetur, describitur atque in conexū suo causali finalique investigatur. Quā de causā omnia, quae aliquo modo effectum in missionem

ita respectā praesertim ecclesiae instructio hierarchica («plantatio ecclesiae») erat missionis scopus principalis.

De quaestione, quae cum «plantatione ecclesiae» cohaeret, *cfr* fusius ex. gr. Anton FREITAG: *Mission und Missionswissenschaft* (1962), pp. 38 sqq., pp. 57 sqq.

- 21 *Cfr* Josef SCHMIDLIN: *System und Zweige der Missionswissenschaft*. *In*: ZM 1, 1911, pp. 106 sqq. - Ea, quae hac in symbolā succincte explicuit, postea saepius exhibuit fusius atque distinctius. Generaliter *cfr* ex. gr. Josef SCHMIDLIN: *Einführung in die Missionswissenschaft* (1917), pp. 59 sqq.; Josef SCHMIDLIN: *Katholische Missionswissenschaft* (1924), pp. 15 sqq. - Speciatim sub aspectū theoriae *cfr* Josef SCHMIDLIN: *Katholische Missionslehre im Grundriss* (1919), pp. 56 sqq.; Josef SCHMIDLIN: *Missionstheorie* (1924), pp. 1 sqq.
- 22 Iosephus Schmidlin putavit missiographiam atque theoriam missiologicam, quod attinet ad argumentum propositumque atque ad methodum, fundamentaliter tantopere inter se differre, ut sine difficultate tamquam diversae scientiae sui generis - quamvis cohaerentes - tractari possent. *Cfr* Josef SCHMIDLIN: *System und Zweige der Missionswissenschaft*. *In*: ZM 1, 1911, p. 107.
- 23 *Cfr* Josef SCHMIDLIN: *System und Zweige der Missionswissenschaft*. *In*: ZM 1, 1911, pp. 108 sqq.; Josef SCHMIDLIN: *Einführung in die Missionswissenschaft* (1917), pp. 59 sqq. (ubi tamen historiam missionis multo fusius tractat quam missionem praesentem); Josef SCHMIDLIN: *Katholische Missionswissenschaft* (1924), pp. 19 sqq.; Josef SCHMIDLIN: *Probleme und Aufgaben der Missionswissenschaft*. *In*: ZM 15, 1925, pp. 6 sq. - *Cfr* etiam Anton FREITAG: *Katholische Missionskunde*. *In*: Edouard LOFFELD / John WILS (edd.): *Scientia missionum ancilla*. Nijmegen / Utrecht 1953, pp. 138 sqq.

exserunt, examinantur. Huc praeter multa alia pertinent condiciones individuales socialesque, physicae psychicaeque, geographicae, oeconomicae politicaeque, eae, quae missioni possunt esse emolumento vel detrimento, subiectum missionis,²⁴ obiectum missionis,²⁵ scopus missionis, effectus missionis et sic porro. Alterā ex parte ad missiographiam pertinet historia missionis, quā omnia, quae inde ex antiquitate in missione et pro missione facta sunt, describuntur. Historia missionis non solum toti historiae ecclesasticae est magni momenti, sed etiam ex conexibus historicis missio temporis praesentis multum addiscere potest.²⁶

Altera missiologiae pars maior, id est doctrina missionis, etiam in duo thema dividitur.²⁷ Unā ex parte agitur de fundamentali teoriā missionis, quā opus missionarium fundatur. Eādem autem, quae secundum aspectū totius theologiae dividitur in aspectū apologeticos, biblico-traditionales, dogmaticos atque ethicos,²⁸ iam normae quaedam principales ponuntur. Secundum thema doctrinae spectat ad practicam missionis theoriam,²⁹ quā tractantur et ius missionarium atque sub variis aspectibus theoreticis methodus missionaria-

24 Ad subiecta missionis, id est ad illos, qui missionem exercent, pertinent ex. gr. consociationes missionariae, Superiores regionis missionariae, ipsi missionarii (id est sacerdotes, Fratres laici atque Sorores).

25 Termino, qui est obiectum missionis, intellegitur et ipsa regio missionaria et homines non-Christiani, qui ad fidem Christianam convertendi sunt.

26 Cum Iosephus Schmidlin ex eruditione scientificā historicus quōque esset, haec pars missiographiae ipsi erat magni momenti.

27 *Cfr* Josef SCHMIDLIN: System und Zweige der Missionswissenschaft. *In*: ZM 1, 1911, pp. 111 sqq.; Josef SCHMIDLIN: Einführung in die Missionswissenschaft (1917), pp. 133 sqq.; Josef SCHMIDLIN: Katholische Missionswissenschaft im Grundriss (1919), pp. 56 sqq.; Josef SCHMIDLIN: Missionstheorie (1924), pp. 6 sq.; Josef SCHMIDLIN: Katholische Missionswissenschaft (1924), pp. 25 sqq.; Josef SCHMIDLIN: Probleme und Aufgaben der Missionswissenschaft. *In*: ZMR 15, 1925, pp. 7 sq. - *Cfr* Thomas OHM: Grundlegende Missionstheorie. *In*: ZMR 19, 1929, pp. 29 sqq., quo praeter alia etiam ea critice tractat, quae usque ad hōc temporis momentum in teoriā missionariā instituendā facta sunt, et quaedam ad rem clarius ordinandam affert.

28 In momentum, quod res dogmatica sub variis aspectibus pro missione habet, specialiter inquisivit Thomas OHM: Dogmatik und Mission. *In*: ZMR 20, 1930, pp. 1 sqq.

29 Hic terminus videtur in se paululum contradictorius esse. Tamen eodem solum significantur missionis aspectū practici, qui theoretice fundari debent.

ria.³⁰

Haec tota dispositio in schema quoddam redactum est, quod est hoc.³¹

Schema missiologiae

I. missiographia sensu latiore

II. doctrina missionis

1. missiographia sensū proprio (unā cum statistica et geographia missionis) a) patria b) extera	2. historia missionis a) antiquitatis b) temporis medi- aevalis c) temporis recen- tioris d) temporis praesentis	1. fundamentalis theoria missionis a) apologetica b) dogmatica c) ethica d) biblico-tradi- tionalis	2. practica theoria missionis a) ius missionis b) methodus missionis (homiletica, catechetica, liturgica, pastoralis)
---	---	---	---

Haec ergo erat structura fundamentalis. Tamen responsales necessitatem perspectam habebant, quā disciplinae quaedam auxiliares ad missiologiam bene tractandam utiles neque neglegendae erant. Imprimis scientiae religionum, quibus in religiones non Christianas inquiritur, magni momenti erant.³²

30 Hōc in conexū etiam commemorandum est iam Iosephum Schmidlin, quod attinet ad methodum missionariam, postulavisse, ut missionarii operibus suis proprietates illorum hominum gentiumque, quibus fides Christiana traditur, sub aspectū geographico, ethnologico, ethico religiosoque respicere debent. Quae postulatio termino «accommodationis» comprehenditur. - *Cfr* Josef SCHMIDLIN: Katholische Missionslehre im Grundriss (1919), pp. 235 sqq.; Josef SCHMIDLIN: Missionstheorie (1924), p. 14. - Lucubratio de hōc themate scitū vere digna est haec: Thomas OHM: Akkomodation und Assimilation in der Heidenmission nach dem hl. Thomas von Aquin. *In*: ZM 17, 1927, pp. 94 sqq. - De hac re *cfr* etiam ex. gr. Karl MÜLLER: Die Weltmission der Kirche (1963), pp. 94 sqq.

31 Josef SCHMIDLIN: System und Zweige der Missionswissenschaft. *In*: ZM 1, 1911, p. 122. - Textus originaliter Theodiscus. - *Idem* schema, sed quoad disciplinas auxiliares paulo auctum, invenitur quoque in libello, cui titulus est Josef SCHMIDLIN: Katholische Missionswissenschaft (1924), p. 31.

32 *Cfr* Josef SCHMIDLIN: System und Zweige der Missionswissenschaft. *In*: ZM 1, 1911, p. 122; Josef SCHMIDLIN: Einführung in die Missionswissenschaft (1917), pp. 194 sqq.; Max GRÖBER: Die Beziehungen der Missionswissenschaft und Missionspraxis zur Völker-, Sprachen- und Religionskunde. *In*: ZM 3, 1913, pp. 47 sqq.; Josef SCHMIDLIN: Missions- und Religionswissenschaft. *In*: ZMR 18, 1928, pp. 1 sqq.; Wilhelm SCHMIDT: Die Bedeutung der Ethnologie und Religionskunde für Missionstheorie und -praxis. *In*: ZMR 18, 1928, pp. 126 sqq.; Johanne Peter STEFFES: Die Religionswissenschaft im Dienste der Mission. *In*: Edouard LOFFELD / John WILS (edd.): Scientia missionum ancilla (1953), pp.

Cum enim missionarii - scilicet - cum paganis variarum gentium atque variarum regionum agerent, eis propter bonum effectum operis omnino necessarium erat, ut ex. gr. scirent, qualis religio singulis gentibus esset, qualia fundamenta normasque eadem haberet et quae essent eius elementa, quibus adhibitis pagani bene ad Christianitatem adduci possent.

Similiter speciatim duae aliae disciplinae respiciendae erant.³³ Nominanda est unā ex parte ethnologia, quā profunda scientia illarum gentium afferatur, ubi missionarii fidem Christianam propagent. Alterā ex parte disciplina linguistica non est neglegenda. Nam hōc in conexū non solum agitur de facultate cum indigenis communicandi, quae missionariis est maximi momenti, sed praeter alia etiam de terminis Christianis convenienter, apte intelligibiliterque in sermonem indigenarum convertendis.

Haec nunc de brevi conspectū ipsius missiologiae catholicae, quae in initio saeculi vicesimi instituta atque exarata est.

4.11.3. Quid Otiliani ad haec initia missiologiae contribuerint

Convertamus nos nunc ad quaestionem, quales partes Otiliani speciatim in his omnibus inceptis missiologicis egerint illis annis initialibus et quomodo eisdem sub variis aspectibus aliquid attribuerint.³⁴

Generaliter dicendum est Otilianos multimodis hōc in conexū apparere. Sic ipse Abbas Norbertus Weber ab initio haec incepta participavit eisdemque adfuit, quod, cum fuerit Superior generalis Benedictinae Congregationis missionariae, non parvi faciendum est. Nam hōc modo demonstravit totam rem suā interfuisse. Uti iam audivimus, Abbas Norbertus Weber non solum in Monasteriensi academicā consociatione missionariā condendā anno 1910° unam ex orationibus principalibus habuit,³⁵ sed etiam ad primarium coetum

173 sqq.

33 *Cfr.* ex. gr. Josef SCHMIDLIN: System und Zweige der Missionswissenschaft. *In:* ZM 1, 1911, p. 122; Josef SCHMIDLIN.: Einführung in die Missionswissenschaft (1917), pp. 190 sqq.; Josef SCHMIDLIN: Katholische Missionswissenschaft (1924), p. 30; Max GRÖßER: Die Beziehungen der Missionswissenschaft und Missionspraxis zur Völker-, Sprachen- und Religionskunde. *In:* ZM 3, 1913, pp. 30 sqq.; Wilhelm SCHMIDT: Die Bedeutung der Ethnologie und Religionskunde für Missionstheorie und -praxis. *In:* ZMR 18, 1928, pp. 118 sqq.

34 De tempore post annum 1930^{mm} *vide* infra cap. 5, cap. 6.

35 Etiam anno 1910° Norbertus Weber Augustae Vindelicum inter «diem catholicorum», qui dicitur, orationem habuit, cui titulus erat «*De condicione missionis paganorum*» et quā impetum missionarium evocare voluit. [Norbert WEBER: Zur Lage der Heidenmission. St.

coeditorum «*periodici scientiis missiologicis destinati*» pertinuit, quā de causā eius nomen iuxta alia in frontispicio primi fasciculi legitur. Praeterea Norbertus Weber in ipso periodico unam alteramque symbolam divulgavit.

Similiter in illo periodico missiologico non solum lucubrationes aliorum Ottilianorum in lucem editi sunt,³⁶ sed ibidem in bibliographiā missionariā etiam multi Benedictini missionarii commemorabantur,³⁷ qui aliquid ad scientias missiologicas contribuerant.³⁸

Praeterea plures Ottiliani sive monographiis sive symbolis in periodicis variis divulgatis et in historiam missionariam et in quaestiones missiologicas et in disciplinas auxiliares velut ethnologiam incubuerunt. Solum pauca nomina afferre volo ut exempla Ottilianorum, qui in huiusmodi themata incubuerunt:

Ottilien 1910, ²1916]. - De hac re breviter *cfr* etiam supra cap. 4.4.3.

36 Solum pauca exempla afferam haec: Ambros MAYER: Ärztliche Mission bei den Katholiken, speziell unter den Naturvölkern. *In*: ZM 1, 1911, pp. 293-314; Maurus GALM: Protestantische Anklagen gegen die katholische Missionsliteratur. *In*: ZM 3, 1913, pp. 134-146; Maurus GALM: Mission und Aszese. *In*: ZM 6, 1916, pp. 285-305; Dominikus ENSHOFF: Nochmals die neuen Missionsfakultäten. *In*: ZM 7, 1917, pp. 201-204. - Symbolae autem, quas multas Laurentius Kilger exaravit, passim inveniuntur.

37 In missionario-bibliographicis relationibus huius periodici variis in rubricis commemorantur cum symbolis monographiisque suis ex. gr.: Norbert Weber (ZM 1, 1911, p. 100; ZM 3, 1913, p. 173; ZM 6, 1916, p. 94, p. 96; ZM 7, 1917, p. 96, p. 249, p. 256; ZM 8, 1918, p. 231, p. 317; ZM 9, 1919, p. 281, p. 284; ZM 10, 1920, p. 215; ZM 11, 1921, p. 244; ZM 14, 1924, p. 289), Josef Damm (ZM 1, 1911, p. 101; ZM 8, 1918, p. 317), Johannes Häfliger (ZM 1, 1911, p. 101), Severin Hofbauer (ZM 1, 1911, p. 101; ZM 8, 1918, p. 317), Ambros Mayer (ZM 1, 1911, p. 101; ZM 4, 1914, p. 161; ZM 5, 1915, p. 195), Anton Ruedel (ZM 1, 1911, p. 101), Athanasius Reichart (ZM 1, 1911, p. 101; ZM 2, 1912, p. 187), Thomas Spreiter (ZM 1, 1911, p. 101; ZM 3, 1913, p. 173; ZM 4, 1914, p. 162; ZM 5, 1915, p. 195), Beda Danzer (ZM 2, 1912, p. 100; ZM 5, 1915, p. 99), Hilarius Kaiser (ZM 3, 1913, p. 173), Linus Leberle (ZM 5, 1915, p. 195), Maurus Galm (ZM 6, 1916, p. 96; ZM 7, 1917, p. 93), Norbert Wüst (ZM 6, 1916, p. 183), Dominikus Enshoff (ZM 7, 1917, p. 173), Ludger Breindl (ZM 8, 1918, p. 317), Ernestus Siebertz (ZM 8, 1918, p. 317); Bonifaz Sauer (ZM 10, 1920, p. 221; ZM 13, 1923, p. 244), Macarius Fuchs (ZM 10, 1920, p. 223), Benno Heckel (ZM 11, 1921, p. 245), Michael Heinlein (ZM 11, 1921, p. 246), Meinulf Küsters (ZM 12, 1922, p. 246), et sic porro. Laurentius Kilger scilicet passim invenitur.

38 Hunc conexum iam explicat Remigius RUDMANN: Der Beitrag deutscher Missionsbenediktiner zur Missionswissenschaft. *In*: Studien und Mitteilungen zur Geschichte des Benediktiner-Ordens und seiner Zweige (= StMB) 96, 1985, p. 221, qui hōc locō certe recte adnotat non omnes relationes inquisitionesque horum confratrum eiusdem momenti fuisse. - Ceterum idem erat primus, qui hac symbolā, quae usque ad annum 1984^{um} perducitur, artam coniunctionem inter Ottilianos atque missiologiam demonstravit.

P. Ambrosius Mayer (1871-1917), qui missionarius iam satis mature investigationes ethnologicas fecit;³⁹ P. Beda Danzer (1881-1944), qui fuerat magister in Seminario Ottiliensi, bibliothecarius atque per quoddam spatium temporis praepositus domūs editoriae Ottiliensis;⁴⁰ P. Optatus Pfäfflin (1891-1977), qui erat magister in Seminario Ottiliensi, deinde in monasterio Meschetiensi fundando cooperatus est atque per aliquos annos erat Superior praedii Tragoessiani.⁴¹

Ceterum scitū dignum mihi esse videtur opera Norberti Weber a missiologis maxime aestimata fuisse.⁴² Praesertim hōc in conexū commemorandum est Iosephum Schmidlin saepius recurrere ad Abbatis libellum anno 1909^o divulgatum, cui titulus est «*Euntes in mundum universum*».⁴³ Iosephus autem Schmidlin semper affirmative atque laudative de hōc scriptō egit,⁴⁴ quod

39 Eum etiam commemorat Remigius RUDMANN: Der Beitrag deutscher Missionsbenediktiner zur Missionswissenschaft. In: StMB 96, 1985, pp. 221 sq. - Ambrosius Mayer praeter symbolam de missione medicā supra commemoratam ex. gr. aliam divulgavit hanc: Religiöse Vorstellungen und Gebräuche bei den Eingeborenen der südlichen Nachbarschaft von Dar es Salaam. In: Missionsblätter 15, 1910/11, pp. 210 sqq. - *Cfr* Frumentius RENNER: Bibliographie der deutschsprachigen Benediktiner 1880-1980: St. Ottilien. In: StMB 29. Ergänzungsband II, 1987, p. 775.

40 Idem divulgavit ex. gr. Der heilige Benedikt als Apostel. St. Ottilien 1914; Benediktinermission in Australien. St. Ottilien 1916; Der Missionsgedanke auf der Kanzel. St. Ottilien 1927; Die Benediktinerregel in der Übersee. St. Ottilien 1929; Benediktinische Missionsarbeit in Neu-Südwesten. In: Lumen Caecis. St. Ottilien 1928, pp. 50 sqq. - *Cfr* Frumentius RENNER: Bibliographie St. Ottilien. In: In: StMB 29. Ergänzungsband II, p. 766. - *Ibidem* non commemoratur symbola haec: Benediktinische Missionsarbeit in der Neuzeit. In: Benediktinische Monatsschrift (= BM) 10, 1928, pp. 45 sqq.

41 Commemorandae sunt eius symbolae hae: Die Entwicklung des Benediktinertums. In: BM 10, 1928, pp. 207 sqq.; Die Berechtigung der Benediktinermission. In: BM 12, 1930, pp. 39 sqq. - *Cfr* Frumentius RENNER: Bibliographie St. Ottilien. In: In: StMB 29. Ergänzungsband II, 1987, p. 777.

42 De momento, quod ex. gr. Norberti Weber liber, qui est «*In terra quietis matutinae*» [Norbert WEBER: Im Lande der Morgenstille. St. Ottilien 1915] sub aspectū ethnologiae atque historiae religionis habuit, iam supra cap. 4.6.2 relatatum est.

43 Fusius de hōc opere *cfr* supra cap. 4.4.1.

44 *Cfr* imprimis Josef SCHMIDLIN: Katholische Missionslehre im Grundriss (1919), ex. gr. pp. 236, 259, 261, 262, 335, 337, 337, 399, 340, 342 cum adnotationibus, quibus in paginis interdum brevem textum Norberti Weber ad verbum affert.

Eodem in libro Iosephus Schmidlin etiam ad Norberti Weber librum, qui est «*In terra quietis matutinae*», refert, ex. gr. p. 342 et p. 246, ubi agitur de postulato, ne missionarii in regione coloniae alienae ullo modo agitationem nationalem exhibeant. - Hōc vero

operibus methodologicis adnumeravit.⁴⁵ Talis existimatio omnino positiva eo magis notanda est, cum sciamus Abbatis deliberationes atque proposita ibīdem exhibita in eius propriā Congregatione neque dilecta neque respecta fuisse.⁴⁶

Sed revertamur ad ipsam missiologiam et ad eius studia scientifica. Etiamsi primis annis interdum non nimis multi alumni in studiorum universitate Monasteriensi in studia missiologica incubuerunt,⁴⁷ tamen ab initio Ottiliani ibīdem alibique praelectiones seminariaeque participaverunt. Etiam inde apparet missiologiam scientificam omniaque incepta huiusmodi Archiabbatis Norberti Weber interfuisse eumque totam rem sustentavisse aptos monachos ad haec studia mittens.

Tamen hōc in conexū imprimis nominadi sunt tres monachi Ottiliani, qui in ipsā missiologiā catholicā primi temporis erant magni momenti, nempe P. Maurus Galm, P. Laurentius Kilger et P. Thomas Ohm.⁴⁸

Primo, cum chronologiam respiciamus, breviter aliquid dicendum est de P.re Mauro Galm. Īdem natus est die 7^o m. Maii a. 1885^o in vico Kredenbach in dioecesi Herbipolensi sito. In monasterium Ottiliense intravit monachus futurus atque ibīdem vota sua sollemnia protulit die 8^o m. Sept. a. 1907^o atque sacerdotio auctus est die 30^o m. Iul. a. 1911^o. Stabilitatem autem suam mense Novembri a. 1912^o transtulit ad monasterium Suarzacense.⁴⁹ Studia sua theologica Maurus Galm peregit Dillingae et imprimis in studiorum

thema Norbertus Weber fusius atque clarius tractavit in symbolā, cui titulus est «*De missione deque re politica*» [Norbert WEBER: Mission und Politik unter besonderer Berücksichtigung der gegenwärtigen Lage der deutschen Missionen. In: Friedrich SCHWAGER (ed.): Der Düsseldorfer Missionskurs für Missionare und Ordenspriester 7.-14. Oktober 1919. Aachen 1920, pp. 142 sqq.

45 Josef SCHMIDLIN: Katholische Missionslehre im Grundriss (1919), p. 374.


46 *Cfr* supra cap. 4.4.1.

47 *Cfr* ex. gr. Karl Josef RIVINIUS: Missionswissenschaftliche Initiativen. In: ZMR 96, 2012, p. 13, qui hanc studentium inopiam primorum annorum commemorat et putat causam unā ex parte fuisse in indole atque se gerendi modo feroce importunoque Iosephi Schmidlin, alterā ex parte in mentali reservatione plerorumque praesidium Ordinum Congregationumque erga Monasteriense scientificum centrum missiologicum. - De hac reservatione *cfr* etiam supra cap. 4.11.1.

48 De ethnologis P.re Meinulfo Küsters et P.re Andrea Eckhardt *cfr* infra cap. 4.16.7.3.

49 *Cfr* Necrologium Congregationis Ottiliensis 2000, p. 54, nr 410; nonnulla indicia inveniuntur etiam apud Frumentium RENNER: Bibliographie St. Ottilien. In: StMB 29. Ergänzungsband II, 1987, p. 790.

universitate Monasteriensi, ubi specialiter in missiologiam incubuit. Ibīdem deinde anno 1915^o in doctores promotus est dissertatione, cui titulus est «*De cogitatione missionaria in protestantismo Nederlandiae exoriunda*».⁵⁰ Haec vero promotio in doctores theologiae, quae apud Professore Iosephum Schmidlin acta est, etiam eā de causā est magni momenti, quia erat inter duas primas, quae in missiologiā catholicā absolutae sunt.⁵¹ Ipse P. Maurus Galm inter annos 1913^{um} et 1916^{um} in



P. Maurus Galm.
[ASO, A.1.7.1]

stitutis monasteriorum Swickersperchiensis, Ottiliensis Suarzacensisque missiologiam docuit atque decursū annorum⁵² plures symbolas divulgavit, quae magnā ex parte ad theoriam missionis practicam spectabant.⁵³

Sed maioris momenti pro totā missiologiā eiusque progressū - non solum in initiis huius disciplinae - erant P. Laurentius Kilger et P. Thomas Ohm.⁵⁴

50 Maurus GALM: Das Erwachen des Missionsgedankens im Protestantismus der Niederlande. St. Ottilien 1915.


51 *Cfr* Remigius RUDMANN: Der Beitrag deutscher Missionsbenediktiner zur Missionswissenschaft. *In*: StMB 96, 1985, p. 224; Laurenz KILGER: Ein Lustrum katholischer Missionswissenschaft in Deutschland. *In*: ZM 6, 1916, p. 12; Josef SCHMIDLIN: Lehrstuhl und Seminar für Missionswissenschaft. *In*: ZMR 25, 1935, p. 229; Thomas OHM: Joseph Schmidlin. *In*: Missionswissenschaft und Religionswissenschaft 1947, p. 6; Karl MÜLLER: Josef Schmidlin (1989), p. 138.

52 P. Maurus Galm vitā functus est die 25^o m. Nov. a. 1945^o in Abbatīā Suarzacensi.

53 Praeter alia iam commemorata (*cfr* supra adn. 36) in lucem edidit ex. gr. haec: Die missionswissenschaftliche Bewegung in Deutschland. 1913; Die Ausbildung des katholischen Missionspersonals der deutschen Kolonien. *In*: Jahrbuch über die deutschen Kolonien 7, 1914, pp. 57-66; Plan eines protestantischen Gegenstücks zur Propaganda im 17. Jh. *In*: Katholische Missionen 44, 1915/16, pp. 29-30; Die Laienbrüder als Hilfsmissionare. *In*: ZM 17, 1927, pp. 272-285; Die katechetische Ausbildung des katholischen Missionspersonals. *In*: ZMR 4, 1941, pp. 15-23. - *Cfr* Frumentius RENNER: Bibliographie St. Ottilien. *In*: StMB 29. Ergänzungsband II, 1987, pp. 790 sq.

54 Sic rem etiam diiudicant ex. gr. Remigius RUDMANN: Der Beitrag deutscher Missionsbenediktiner zur Missionswissenschaft. *In*: StMB 96, 1985, p. 225; Ivo AUF DER MAUR: Der Missionswissenschaftler P. Dr. Laurenz Kilger OSB. *In*: Basilius DOPPELFELD (ed.): Mönche und Missionare. Münsterschwarzach 1988, p. 198; Johannes BECKMANN: P. Dr. Laurenz Kilger O.S.B. (1880-1964) zum Gedächtnis. *In*: Neue Zeitschrift für Missionswissenschaft (= NZM) 20, 1964, pp. 166 sq.; Laurenz KILGER: Professor P. Thomas Ohm

Tamen unusquisque eorum alias praeponderantias investigandi secutus est. Laurentius Kilger, cuius nomen baptismale erat Ferdinandus, natus est Monaci die 12^o m. Sept. a. 1890^o. In monasterium Ottiliense receptus vota sollemnia protulit die 16^o m. Oct. a. 1910^o et sacerdotio auctus est die 30^o m. Iun. a. 1914^o.⁵⁵ Artissime autem Laurentius Kilger ab initio cum missiologiā eiusque inceptis coniunctus erat, cum iam spatio semestri hiemali a. 1910/11ⁱ in studiorum universitate Monasteriensi studia missiologica susciperet et hunc in modum ad primos alumnos huius novae disciplinae pertineret.⁵⁶ Iam inde ab anno 1911^o Laurentio Kilger in periodico missiologiae catholicae recenter condito cooperari licuit, primo scilicet laboribus quadamtenus minoribus,



*P. Laurentius Kilger annis iunioribus.
[ASO, Ottiliense archivum imaginum.]*

tamen decursū temporis magis magisque ibīdem apparuit et deinde ex anno 1921^o illius periodici redactor responsalis redditus est.⁵⁷ Die autem 16^o m. Dec. a. 1916^o P. Laurentius Kilger in studiorum universitate Monasteriensi apud Prof.rem Iosephum

zum 60. Lebensjahr. In: Benediktinische Monatsschrift (= BM) 28, 1952, p. 329; Joseph SCHMITZ: Professor P. Dr. Thomas Ohm OSB (1892-1962). Ein Leben in der Liebe zu Gott und für die Liebe zu Gott. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 206; Cosmas HOFFMANN: Wege zum Heil. Die Stellung der Nichtchristen und der nichtchristlichen Religionen im Werk von Thomas Ohm. St. Ottilien 2001, p. 103.

-
- 55 *Cfr* Necrologium Congregationis Ottiliensis, p. 80, nr 652; Frumentius RENNER: Bibliographie St. Ottilien. In: StMB 29. Ergänzungsband II, 1987, p. 813; Valerian HERWEG: Missionswissenschaftler Dr. P. Laurenz Kilger OSB. In: BM 18, 1952, p. 422; Ivo AUF DER MAUR: Der Missionswissenschaftler P. Dr. Laurenz Kilger OSB. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), pp. 190 sq.
- 56 *Cfr* Remigius RUDMANN: Der Beitrag deutscher Missionsbenediktiner zur Missionswissenschaft. In: StMB 96, 1985, p. 225; Ivo AUF DER MAUR: Der Missionswissenschaftler P. Dr. Laurenz Kilger OSB. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 194. - Sed Laurentius Kilger etiam ex. gr. Dillingae atque Monaci studia sua peregit.
- 57 *Cfr* Valerian HERWEG: Missionswissenschaftler Dr. P. Laurenz Kilger OSB. In: BM 18, 1952, p. 422; Remigius RUDMANN: Der Beitrag deutscher Missionsbenediktiner zur Missionswissenschaft. In: StMB 96, 1985, p. 226.

Schmidlin in doctores promotus est,⁵⁸ themate ad historiam missionariam spectans atque dissertatione, cui titulus est «*De prima missione inter tribūs Bantu Africae Orientalis*».⁵⁹ Quō opere īdem diligenter in fontes inquisivit atque eosdem analysi subiecit. Erat vero Laurentius Kilger Monasterii tertius doctorandus missiologiae.



*P. Laurentius Kilger annis posterioribus.
[ASO, Ottiliense archivum imaginum.]*

Doctoratū acquisito in Archiabbatiam Ottiliensem revertit, ubi primo in Seminario Ottiliensi magister erat, deinde ab anno 1919^o in Ottiliensi athenaeo philosophico missiologiam atque historiam artis docuit. Deinde autem Iosepho Schmidlin instigante, qui optimam indolem discipuli sui novit, Laurentio Kilger anno 1920^o concessum est, ut Romam transmigraret, ut

58 *Cfr* Josef SCHMIDLIN: Lehrstuhl und Seminar für Missionswissenschaft. *In*: ZMR 25, 1935, p. 229; Ivo AUF DER MAUR: Der Missionswissenschaftler P. Dr. Laurenz Kilger OSB. *In*: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 194; Johannes BECKMANN: P. Dr. Laurenz Kilger O.S.B. (1880-1964) zum Gedächtnis. *In*: NZM 20, 1964, p. 162; Valerian HERWEG: Missionswissenschaftler Dr. P. Laurenz Kilger OSB. *In*: BM 18, 1952, p. 422; Remigius RUDMANN: Der Beitrag deutscher Missionsbenediktiner zur Missionswissenschaft. *In*: StMB 96, 1985, p. 225.

59 LAURENZ KILGER: Die erste Mission unter den Bantustämmen Ostafrikas. Münster 1917.

ibīdem in fontes archivi Congregationis de Propaganda Fide incumberet.⁶⁰ Scopus quidem fuerat editio horum fontium plena ampleque, sed responsales huius Congregationis Romanae aliquando permissionem divulgationis re-traxerunt, ita ut Laurentius Kilger fructūs huius investigationis tantummodo variis symbolis exaratis in lucem edere posset. Tamen eodem tempore ad athenaeum papale Congregationis de Propaganda Fide vocatus est, ut ibīdem professor missiologiam doceret.⁶¹ Inde ex anno 1925^o Laurentius Kilger denuo in Archiabbatiā Ottiliensis athenaeo missiologiam docuit. Inde ex illo tempore etiam plures orationes, imprimis in academicis Conventibus missiologicis, habuit. Nonnulli autem dicunt spatium temporis inter annum 1925^{um} et annum 1935^{um} in Archiabbatiā transactum fuisse maxime frugiferum in ipsius laboribus.⁶² Cum tituli eius lucubrationum aspiciantur, animadvertitur maximam partem agi de historiā missionis, imprimis de missione Africae atque Africae Orientalis.⁶³ Commemorandum denique est P.rem Laurentium Kilger sedulo atque continuo in investigationes scientificas incubuisse, merita sibi acquisivisse, cum in periodico missiologico edendo cooperaretur, sed etiam - ut posteriores iudicant⁶⁴ - quia primis anni missiologiae catholicae Monasteriensis ei contigit, ut modo suo affabili, tranquillo modestoque et operibus suis bonam existimationem evocantibus totum inceptum stabiliret et tamquam mediator ageret, cum Iosephus Schmidlin indole suā difficili saepe difficultates cum aliis provocaret atque sic percep-

60 *Cfr.* Valerian HERWEG: Missionswissenschaftler Dr. P. Laurenz Kilger OSB. *In:* BM 18, 1952, p. 422; Johannes BECKMANN: P. Dr. Laurenz Kilger O.S.B. (1880-1964) zum Gedächtnis. *In:* NZM 20, 1964, p. 163; Remigius RUDMANN: Der Beitrag deutscher Missionsbenediktiner zur Missionswissenschaft. *In:* StMB 96, 1985, p. 225.

61 Eodem tempore etiam rogatus est, ut in exhibitione missionariā praeparandā, quae anno 1925^o Romae locum habuit, cooperaretur.


62 *Cfr.* ex. gr. Johannes BECKMANN: P. Dr. Laurenz Kilger O.S.B. (1880-1964) zum Gedächtnis. *In:* NZM 20, 1964, p. 165; Ivo AUF DER MAUR: Der Missionswissenschaftler P. Dr. Laurenz Kilger OSB. *In:* Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 195.

63 Cum numerus symbolarum, quas Laurentius Kilger divulgavit, tam magnus sit, indicem titulorum hic non exhibemus. - De hac re *cfr.* Frumentius RENNERT: Bibliographie St. Ottilien. *In:* StMB 29. Ergänzungsband II, 1987, pp. 813 sq.

64 *Cfr.* ex. gr. Johannes BECKMANN: P. Dr. Laurenz Kilger O.S.B. (1880-1964) zum Gedächtnis. *In:* NZM 20, 1964, p. 167; Remigius RUDMANN: Der Beitrag deutscher Missionsbenediktiner zur Missionswissenschaft. *In:* StMB 96, 1985, p. 226.

tioni missiologiae demtrimentum afferret.⁶⁵

Perveniamus nunc ad ultimum Ottilianum, qui ad praestantissimos missiologos non solum primorum annorum pertinebat. Thomas Ohm, cuius nomen baptismale erat Philippus, die 18^o m. Oct. a. 1892^o in oppido Westerhold in dioecesi Monasteriensi sito natus est. In monasterium Ottiliense intravit atque ibidem die 6^o m. Iul. a. 1913^o vota sua protulit.⁶⁶ Vix in studia sua philosophica theologicaque incumbere coeperat, cum primo bello mundano incohato ad milites vocatus eadem relinquere coactus esset. Sic factum est, ut bello finito denique die 20^o m. Iul. a. 1920^o sacerdotio auctus est. Eodem anno 1920^o idem in studiorum universitatem Monasteriensem missus est, ut studia theologica continuaret atque speciatim in missiologiam incumberet.⁶⁷



Quamquam missiologia ipsa eius intererat, tamem historia missionis, quae scilicet Monasterii praesertim tractabatur, non erat thema, quo Thomas Ohm maxime attrahebatur. Idem enim - aliter ac P. Laurentius Kilger - magis in ipsam theologiam missionariam incumbere desideravit. Itaque satis celeriter ad stu-

*P. Thomas Ohm annis iunioribus.
[ASO, Ottiliense archivum imaginum.]*

65 P. Laurentius Kilger anno 1936^o in Helvetiam missus est, quia annis national-socialisticis de eius salute timebatur, cum fuisset discipulus cooperatque Iosephi Schmidlin, qui erat inimicus ilius regiminis. Ibidem labores suos continuavit etiam in historiam regionalem incumbens. Anno 1945^o unā cum Iohanne Beckmann in «*Novo Periodico scientiis missiologicis destinato*» [*«Neue Zeitschrift für Missionswissenschaft»*] condendo cooperatus est. - P. Laurentius Kilger die 14^o m. Maii a. 1964^o vitā functus est.

66 *Cfr*: Necrologium Congregationis Ottiliensis 2000, p. 77 nr 627; Frumentius RENNERT: Bibliographie St. Ottilien. *In*: StMB 29. Ergänzungsband II, 1987, p. 776; Laurenz KILGER: Professor P. Thomas Ohm zum 60. Lebensjahr. *In*: BM 28, 1952, p. 328; Cosmas HOFFMANN: Wege zum Heil (2001), pp. 14 sqq., ubi biographia Thomae Ohm satis ampla invenitur.

67 *Cfr*: Laurenz KILGER: Professor P. Thomas Ohm zum 60. Lebensjahr. *In*: BM 28, 1952, p. 328; Remigius RUDMANN: Der Beitrag deutscher Missionsbenediktiner zur Missionswissenschaft. *In*: StMB 96, 1985, p. 226; Cosmas HOFFMANN: Wege zum Heil (2001), p. 22.



P. Thomas Ohm annis posterioribus.
[ASO, Ottiliense archivum imaginum.]

diorum universitatem Monacensem se contulit, ubi studia sua apud Prof.rem Martinum Grabmann continuavit. Apud ipsum Thomas Ohm anno 1924^o in doctor promotus est⁶⁸ dissertatione, cui titulus est «*De statu paganorum erga naturam atque supranaturam secundum Thomam Aquinatem. Inquisitio missiologico-theoretica*»⁶⁹ et quā iam in illud thema amplum incubuit, quod per totam vitam ei maximi momenti mansit atque cordi erat, nempe in theoriam missiologicam. Hac vero in re imprimis respicere conatus est, quomodo actio missionis coniungenda esset cum religione fideque paganorum.

Post promotionem P. Thomas Ohm per unum annum in philosophico athenaeo Ottiliensi missiologiam docuit, antequam anno 1926^o ad theologiam fundamentalem docendam in studiorum universitatem Iuvaviensem⁷⁰ vocatus est, ubi deinde etiam habilitatus est.⁷¹ Scitū autem dignum est Thomam Ohm inde ex anno 1927^o plura itinera in Asiam Orientalem, in Indiam atque in Africam fecisse, quibus in religiones illorum regionum incubuit materiasque pro inquisitionibus suis collegit.⁷²

68 Cfr Josef SCHMITZ: Professor P. Dr. Thomas Ohm. In: Basilius DOPPELFELD (ed. (1988), p. 204; Remigius RUDMANN: Der Beitrag deutscher Missionsbenediktiner zur Missionswissenschaft. In: StMB 96, 1985, p. 227; Laurenz KILGER: Professor P. Thomas Ohm zum 60. Lebensjahr. In: BM 28, 1952, p. 328; Cosmas HOFFMANN: Wege zum Heil (2001), p. 22.

69 Thomas OHM: Die Stellung der Heiden zu Natur und Übernatur nach dem hl. Thomas von Aquin. Münster 1927.

70 Iuvavia: *Salzburg*. - Cfr GRAESSE / BENEDICT / PLECHL: Orbis Latinus. Braunschweig 1972, II, p. 319.

71 Thomas OHM: Meine Tätigkeit im Dienste der Missionswissenschaft in Münster. In: Josef GLAZIK (ed.) (1961), p. 33; Remigius RUDMANN: Der Beitrag deutscher Missionsbenediktiner zur Missionswissenschaft. In: StMB 96, 1985, p. 227; Cosmas HOFFMANN: Wege zum Heil (2001), p. 23. - Laurenz KILGER: Professor P. Thomas Ohm zum 60. Lebensjahr. In: BM 28, 1952, p. 228 per errorem indicat annum 1927^{um}.

72 De his itineribus explicationes fusas praebet Cosmas HOFFMANN: Wege zum Heil (2001), pp. 24 sqq.

Eius autem vita academica anno 1932^o continuata est, cum in studiorum universitatem Herbipolensem⁷³ vocaretur, ut professor missiologiam doceret.⁷⁴ Cursum vitae Thomae Ohm tamen hōc in conexū non iam singillatim sequimur, cum ad spatium temporis, quod modo tractamus, non pertineat.⁷⁵ Tamen denuo dicendum est eius merita, quod attinet ad missiologiam, fuisse maximi momenti, id quod etiam ex operibus, quos divulgavit, elucet.⁷⁶

Haec nunc breviter de ipsis missiologis Ottilianis, qui iam primis duobus decenniis novae disciplinae catholicae eandem promoverunt auxeruntque. Sed etiam alio modo magis generali Ottiliani insuper aliquid ad missiologiam

73 Herbipolis: *Würzburg*. - *Cfr* GRAESSE / BENEDICT / PLECHL: *Orbis Latinus*. Braunschweig 1972, II, p. 228; Carolus EGGER: *Lexicon nominum locorum*. Romae 1977, p. 338.

74 *Cfr* Laurenz KILGER: Professor P. Thomas Ohm zum 60. Lebensjahr. *In*: BM 28, 1952, p. 328; Remigius RUDMANN: Der Beitrag deutscher Missionsbenediktiner zur Missionswissenschaft. *In*: StMB 96, 1985, p. 227; Cosmas HOFFMANN: Wege zum Heil (2001), p. 23; Thomas OHM: Meine Tätigkeit im Dienste der Missionswissenschaft in Münster. *In*: Josef GLAZIK (ed.) (1961), p. 33.

75 Thomas Ohm tempore national-socialistico anno 1941^o ex cathedrā suā Herbipolensi amotus est. Tamen - quasi privatim - scientifice operari perrexit. Mense Maio a. 1946^o iterum in cathedram Herbipolensem institutus est, sed iam die 2^o m. Sept. a. 1946^o in studiorum universitatem Monasteriensem vocatus est, ubi successor Iosephi Schmidlin in cathedra missiologica factus est, quod munus usque ad annum 1961^{um} obtinuit. P. Thomas Ohm die 25^o m. Sept. a. 1962^o vitā functus est. - *Cfr* Thomas OHM: Meine Tätigkeit im Dienste der Missionswissenschaft in Münster. *In*: Josef GLAZIK (ed.) (1961), pp. 33 sqq.; Josef SCHMITZ: Professor P. Dr. Thomas Ohm. *In*: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 204; Remigius RUDMANN: Der Beitrag deutscher Missionsbenediktiner zur Missionswissenschaft. *In*: StMB 96, 1985, p. 227; Cosmas HOFFMANN: Wege zum Heil (2001), pp. 98 sqq.

76 Indicem quendam titulorum exhibet Frumentius RENNER: Bibliographie St. Ottilien. *In*: StMB 29. Ergänzungsband II, 1987, p. 776, qui index tamen non est completus, imprimis quod attinet ad priores annos. Bibliographiam integram praebet Cosmas HOFFMANN: Wege zum Heil (2001), pp. 394 sqq.

Quasdam symbolas illorum annorum, de quibus hic agitur, commemorare volumus has: Vom Sinn der missionsärztlichen Fürsorge. *In*: Jahrbuch des Missionsärztlichen Instituts. Würzburg 1926, pp. 1-9; Akkomodation und Assimilation in der Heidenmission nach dem hl. Thomas von Aquin. *In*: ZMR 17, 1927, pp. 94-113; Die Aufnahmefähigkeit der Heiden für Gott. *In*: BM 9, 1927, pp. 9-24; Benediktinische Missionsarbeit in der Neuzeit. *In*: BM 10, 1928, pp. 45-64; Irdische Vorteile als Bekehrungsmotive. *In*: ZMR 18, 1928, pp. 208-221; Heidenmission und Liturgie. *In*: BM 11, 1929, pp. 17-28; Grundlegende Missionstheorie. *In*: ZMR 19, 1929, pp. 26-36; Die Auseinandersetzung mit dem Heidentum in der christlichen Lehrverkündigung. *In*: ZMR 19, 1929, pp. 191-200; Dogmatik und Mission. *In*: ZMR 20, 1930, pp. 1-24.

attribuerunt. Nam fundatores disciplinae missiologicae putaverant non solum missiologiam missionariis in terris extraneis operantibus auxilio esse, sed vice versā ipsos missionarios relationibus suis variis materiam praebere investigatoribus missiologicis atque hunc in modum eos quoque missiologiam ditare. Itaque Otiliense periodicum iam pridem conditum, cui titulus est «*Paginae missionariae*»,⁷⁷ ad hunc scopum multum attribuit,⁷⁸ cum ibidem regulariter symbolae relationesque de regionibus missionariis Otilianis deque variis quaestionibus ipsius missionis atque de condicionibus gentium, apud quos Otiliani in opus suum incubuerunt, divulgarentur. Scilicet «*Paginae missionariae*» non erant conditae ut periodicum scientificum neque omnes earum symbolae erant aptum fundamentum sequentium investigationum missiolicarum.

Denique commemorandi sunt academici cursūs missiologici sic dicti, qui variis in locis pro sacerdotibus, magistris aliisque academicis institui solebant, ut scientia missiologica divulgaretur atque illi, ad quos haec studia plus minusve pertinebant, docerentur atque ad cooperationem instigarentur. Talibus enim cursibus occasio praebebatur, quā illi, quorum haec themata intererant, ab scientificis oratoribus peritis in problemata missiologica introducebantur atque disputationes participare potuerant. Postquam huiusmodi cursūs primis annis novae disciplinae missiologicae optimum effectum habuerunt atque ab participibus bene frequentati sunt, videntur iidem inde ab anno 1917^o non iam ita quaesiti fuisse.⁷⁹ Quod fortasse cum condicionibus bellicis atque postbellicis cohaerebat.

Tamen inde ex mediis annis vicesimis saeculi vicesimi iterum nova efflorescentia talium cursuum animadvertebatur. Ad hunc novum impetum etiam pertinebat cursus missiologicus, qui inter diem 9^{um} m. Aug. et diem 12^{um} m. Aug. a. 1926^o in Archiabbatiā Otiliensi locum habuit.⁸⁰ Circiter centum

77 *Missionsblätter*.

78 «*Paginas missionarias*» etiam pertinere ad talem contributionem missiolicam Otilianorum ut bonam collectionem fontium iam commemorat Remigius RUDMANN: *Der Beitrag deutscher Missionsbenediktiner zur Missionswissenschaft*. In: *StMB* 96, 1985, p. 220.

79 Josef SCHMIDLIN: *Unsere missionswissenschaftlichen Unternehmungen*. In: *Katholische Missionen* 53, 1924/25, pp. 77 sq. de hac condicione aliquatenus questus est.

80 Paulo fusius de hac re *cf.* Chron. Otil. m. Iul./Sept. a. 1926; Anton FREITAG: *Missionsrundschaue*. I. *Heimatliches Missionswesen*. In: *ZMR* 16, 1926, pp. 290 sq. - Cursum solum commemorat ULMS in Borken: *Fünf Lustren akademischer Missions-*

quinquaginta participes nomina dederunt, ex quibus etiam multi Patres atque Fratres clerici ex ipsā Archiabbatiā erant.⁸¹ Numerus multo maior erat quam in similibus cursibus, qui annis anterioribus habiti sunt. Magni autem momenti erat relationes factas esse ab missiologis peritis notisque, velut a Prof.re Iosepho Schmidlin, a D.re Iohanne Aufhauser, a P.re D.re Thoma Ohm, a P.re D.re Laurentio Kilger, a P.re Hieronymo Graf O.Cap., a P.re D.re Maximiliano Größer P.S.M., a P.re Theodoro Grentrup S.V.D. aliisque.⁸² Etiam Archiabbas Norbertus Weber relationem fecit pelliculam in insulis Philippinis receptam monstrans explicansque.⁸³ Effectus autem huius cursūs valde laudabatur.⁸⁴

Cum nunc ea, quae rettulimus, spectemus, videmus, quot et quanta Ottiliani singuli universi ad missiologiam fundandam, exaedificandam, amplificandam inter eius prima decennia contribuerint. Tamen etiam annis insequentibus partes, quas Ottiliani his in scientiis egerunt, non erant nullius momenti.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 206, 2016, pp. 495-515.]

bewegung in Deutschland. In: ZMR 25, 1935, p. 241.

- 81 Ipsi Ottiliani - imprimis Archiabbas Norbertus Weber, sed etiam nonnulli alii Patres - huiusmodi cursūs alibi exhibitos participaverunt atque ibīdem relationes protulerunt.
- 82 Chron. Ottil. m. Iul./Sept. a. 1926; Anton FREITAG: Missionsrundschau. In: ZM 16, 1926, pp. 290 sq. non solum omnes relatores nominatim afferunt, sed etiam themata relationum indicant.
- 83 Ut Anton FREITAG: Missionsrundschau. In: ZM 16, 1926, p. 2901 scribit, inter hunc cursum etiam circumductionem a participibus valde aestimatam praebitam esse, quā Archiabbatiæ Ottiliensis varia instituta opificinasque ad opus missionarium spectantes et magnum museum missionis invisere licuit.
- 84 Anton FREITAG: Missionsrundschau. In: ZM 16, 1926, p. 290 illum cursum Ottiliensem inter cursūs illius anni appellat «culmen splendidum».